

The Electronic Manipulus florum  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Scriptura sacra au  
cum fonte primo

In scripturis enim ignorans inuenit  
quid discat, contumax

quid timeat, laborans  
premia,

pusillanimis  
mediocris iusticie cibos que et si  
pinguem non faciunt animam,  
mori tamen non permittunt.  
Qui autem magni animi est inuenit ibi  
spirituales escas que  
perducant eum prope ad angelorum naturam,  
qui uero est uulneratus a dyabolo  
  
inuenit ibi cibos medicinales  
et salutem per penitenciam.

Crisostomus super illud Matthei XXII.: Omnia  
parata sunt.

Quidquid quaeritur ad salutem, totum jam  
adimpletum est  
in Scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi  
quod discat. Qui contumax  
est et peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella,  
quae timeat. Qui laborat,  
inveniet ibi glorias et promissiones vitae  
perpetuae, quas manducando  
amplius excitetur ad opus. Qui  
pusillanimis est et infirmus, inveniet ibi  
mediocres justitiae cibos, qui etsi  
pinguem animam non faciunt,  
tamen mori non permittunt.  
Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi  
spirituales escas continentioris vitae, quae  
perducant eum prope ad angelorum naturam.  
Qui percussus a diabolo, et vulneratus est  
in peccatis,  
inveniet ibi medicinales cibos,  
qui eum per poenitentiam revocent ad salutem.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in  
Matthaeum*, 41 (PG 56, col.862).